



## **Panis Evangelici Fragmenta Quadragesimalia Tripartita**

Ex sanctissimo Dei Verbo copiosè & sedulo collecta, Sanctorum Patrum, variorumque Auctorum sententiis & conceptibus mirificè aucta; Et Omnibus Quidem Anni Dominicis; præcipuè tamen singulis Quadragesimæ Dominicis & Feriis per binas ad minus, sæpius denas aut septenas Conciones fidei Populo ...

**Lingendes, Claude de**

**Coloniae Agrippinae, 1689**

LIX. Quæ est tertia de Dæmonibus, ostendit Christum eorum Regnum destruxisse, institutione veræ religionis & stabilita morum contrariedade.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56356](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56356)



DOMINICA TERTIA  
IN QUADRAGESIMA  
CONCIO TERTIA.

Christum venisse ut destrueret Regnum Dæmonum: idque fecisse  
Institutione veræ Religionis, & stabilitâ morum  
contrarietate.

*Erat Iesus ejiciens Dæmonium. Lucæ II.*

**T**RIA in hoc Evangelio contineri  
diximus: 1. esse inter Dæmones for-  
mam aliquam regni, atque imperii,  
quod si contra hominum ruinam  
constituerunt, cuius beneficio Dæmon hunc  
mundum sibi subiecit ex Christi testimonio,  
*Quod si Satanæ in semetipsum divisus est, quo-  
modo stabit regnum eius? Et Ioan. 14. Venit  
enim Princeps mundi huius, & in me non habet  
quidquam;* 2. ad hoc maximè Christum ve-  
nisse in mundum, ut regnum Satanæ abole-  
ret: 3. vias, & modos quibus id Christus per-  
fecit. Quod fuit primum, in primâ Concio-  
ne expositum est: De duobus reliquis dicen-  
dum nobis superest. Adjuvet illa de quâ dici-  
tur Genes. 3. *Inimicitias ponam inter te, &  
mulierem: & sementium, & semen illius; ipsa  
conteret caput tuum.* AVE MARIA.

**C**ONTRA malum, bonum est, & contra  
*mortem, vita, &c. duo, & duo, & unum  
contra unum, Eccli. 33.* His verbis significatur  
peculiaris oppositio inter res omnes: ita ut  
licet res sint innumeræ, quod significatur hæc  
voce, duo, & duo; geminatio enim in Scrip-  
turâ multitudinem significat; nihil tamen ul-  
quam sit in tanta multitudine, quod contra-  
rium non habeat, peculiari quadam, ac præ-  
cipuâ contrarietate: quæ quidem non tantum  
est inter creaturas, de quibus maximè loqui-  
tur Sapiens, dum ait, *Et sic invenerunt in omnia opera  
Altissimi:* sed etiam inter Creatorem ipsam,  
& inter creaturas: non sanè naturâ, sed vitio:  
non conditione, sed libertatis abusu. Nun-  
quam enim, ut ait Bernard, pravo rectoque  
conveniet: nam *contra malum, bonum est, & cõ-  
tra mortem vita.* Ac licet Dæmon Deo, toti-  
Trini-

Trinitati, & ijs omnibus quæ ad Deum pertinent inimicissimus sit: peculiari tamen oppositione contrarius est secundæ Trinitatis personæ: i ratione peccati, quod fermè quadruplex in dæmonibus SS. PP. agnoscunt supra cætera.

1. Est quod affectarit similitudinem atque æqualitatem cum Deo; cum videret se ratione naturæ, inter creaturas maximè accedere ad similitudinem Dei; unde eidem dicitur in sensu mystico ex interpretatione omnium Patrum Græcorum & Latinorum Ezech. 28. *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientiâ, perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti: omnis lapis pretiosus, operimentum seuum, & c. Et elevatum est cor tuum in decore tuo: perdidisti sapientiam tuam in decore tuo, in terram projecisti te: ante faciem regum dedi te, ut cernerent te.* Nam licet in sensu literali dicta sint de rege Tyri, dicuntur tamen per allusionem ad primum Angelum: quamvis ea similitudo atque cum Deo æqualitas, Filij fuerit propria, de quo dicit Apostolus ad Philipp. 2. *Qui cum in formâ Dei esse non rapinam arbitratus est esse se equalè Deo:* Vnde S. Bern. serm. 1. de Adventu, explicans illa Isaïæ verba *Ero similis Altissimo*, ait dæmonem ex invidiâ contra Filium Dei, æqualitatem cum Deo optasse, quæ soli Filio ex similitudine convenit.

2. Dæmonis peccatum fuit, quod voluerit beatitudinem suis viribus obtinere, quasi ipse sibi sufficeret, nõ verò dependēter à gratia. Hoc autem unum ex Angelicis peccatis fuisse docuit Gelasius in Decreto suo contra Pelagium: Sux ait, institutionis claritate detenti, ulterius se nihil egere, ac sibi se sufficere posse præsumunt, perque seipso obtinere fidentes, quidquid per solam gratiam potuissent conditoris adipisci. Idem docet Augustin, lib. 22. De Civit. cap. 1. & S. Prosper in Epistola ad Demetriad. Cum, inquit, non dignaretur di-  
 yes esse nisi ex propriis, tanquam hoc haberet

simile Deo, ut bonorū suorū, ipse sibi fons, ipse sibi copia esset, suū sibi quodammodo appetit esse principiū; relicto eo qui verè illi sufficere poterat, se sibi sufficere posse iudicavit, & c. Vnde voluit in illa independentia se Deo exæquare, ratione cuius Christus factus est, fons totius meriti, non solū seipso beatus, cū in se haberet ipsum beatitudinis principium ac fontem, sed etism beatos faciens, cum beatitudinem communicarit per gratiam derivatam. Mitto dicere quod aliqui etiam Theologi docuerint etiam dependenter à Christi futuris meritis datam esse Angelis gratiam qua gloriam meruerunt, quam hoc modo propositam Angelo prævaricatori, ipse repudiasset, ratus se posse suis viribus consequi quod deesset: quod si verum est hoc peccatum Angeli præcipuo quodam modo contra Filium Dei admissum est.

3. Dæmonis peccatum fuit, quod supra omnē creaturam quandam prælationem affectarit: Ita, ut ait S. Greg. lib. 4. Epist. c. 82. *Despectis Angeliorum legionibus secum socialiter constitutis, ad culmen conatus est singularitatis erumpere, ut & nulli subesse, & sol⁹ omnibus præesse videretur.* S. August. sic de eos 14. de Civit. cap. 11. *Tyrannico fastu, gaudere de subditis, quam esse subditus eligens.* S. Bern. Sermon. 5. de verbis Isaïæ dicit eum fuisse solitaria præsumptionis amatorem. Hoc voluit Nazian. in carmine de substantiis spiritualibus, quando diaboli peccatum in eo ponit, quod sperasset Regiam dignitatem Dei; quæ qualitas propriè ad Filium Dei pertinebat: ut latè docet S. Paulus in Epistola ad Hebr. cap. 1. Vbi inter alia Angelos vocat administratorios Spiritus: in qua conditione prævaricator manere noluit, sed locum habere voluit Filij Dei de quo sic loquitur idem Paulus Eph. 1. *Constituens eum ad dexteram in celestibus, supra omnem principatum & potestatem, & virtutem, & c.* Quam eminentissimam dignita-

tem ei diabolus invidit: Si quidem ut ait Bernard. Serm. 2. in Octavâ Paschæ, lapsus est de cœlo propter invidiam in Filium Dei, & singularitatem, nempe dignitatis quam ambiebat. Ex quibus patet præcipuo quodam modo Angelum peccasse contra Filium Dei.

IV. Dæmonis peccatum fuit quod Christo, & homini subijci noluerit factâ ipsi revelatione de futurâ Incarnatione, secundum illud Apostoli ad Hebr. 1. *Et cum iterum introduceret primogenitum in orbem terrarum, dixit: & adorent eum omnes Angeli Dei;* in quibus verbis significatur Christum bis fuisse introductum, & per nativitatem, & per revelationem initio factam Angelis, ex quo consequenter Deus postulavit ab Angelis Filii sui adorationem, quam Angelus prævaricator recusavit: Ita Catharinus in opusculo de gloriâ, & lapsu Angelorum.

2. Hoc idem ostenditur ex odio singulari quo hominem prosequitur, quem vidit sic amari à Filio Dei, ut ejus naturæ vellet sociari. Hinc factum ut Dæmon vocetur inimicus homo, & Satan. id est, accusator, & calumniator; Christus verò singulariter dicatur, filius hominis, Philanthropos, frater, sponsus, maritus. Porro præter varias occasiones ob quas Dæmon odit hominem, ea est, quia imaginem Dei præfert, cumque Deo nocere non possit, ejus imagini creatæ nocet, quantum potest! Itaque in hoc orbe inferiori hoc tantum fine versatur ut hominem perdat, vel ei noceat: Christus verò ut hominem salvaret, venit in hunc mundum. Dæmon serpentis corpus inquit ut exterius suadere posset: cum præsertim in statu Innocentiæ hominem non posset aggredi nisi externâ tentatione, nec aliunde ei corpus assumere permetteretur, nisi animalis; ut scires à beatitudine prorsus excidisse; & ejus animalis, quod homines passim exhorreat: E contratio Verbum visibile fa-

ctum est ut familiari verbo, & exemplo suaderet; post hac in terris visus est, & cum hominibus conversatus est: Baruch. 3. *Non facies avolare à te ultra Doctorem tuum: & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum: & aures tua audient verbum, post tergum moventis.* Isaia 40. Dæmon hominem calumniatur, atque accusat, unde nomen habet Diaboli Apocal. 22. *Projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri, die ac nocte:* E contratio Christus fungitur officio Advocati, & peccata nostra excusat: 1. Ioan. 2. *Sed & si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum,* &c. Item Rom. 8. *Qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Dæmon nihil molitur, omnibus ingenij viribus, & notitia qua pollet, utitur, ut homines miserè perdat: Christus vero infinita sua sapientia innumeros modos excogitavit quibus homines salvaret, & ab interitu vindicaret.

3. Idem ostenditur ex modo peculiari quo divinitatem affectat per Idola: Nam ut ait Nazian. quam Divinitatem in cœlis habere non potuit, habere conatur in terris: per Idola scilicet; ut substantialem illam Patris Imaginem apud hominum existimationem aut divinitate spoliaret, aut æquare videtur.

4. Ex peculiari modo agendi Dæmonis per astutias & per errorum diffusionem: quæ duoveræ Sapientiæ, quæ filius Dei est, peculiari modo opponuntur:

5. Ex dira persecutione in Christum Dominum, cum videret in ipso hæcere unicuique medium humanæ salutis ac redemptionis mundi; Hinc Apocal. 12. partum mulieris expectavit, *ut cum peperisset, filium ejus devoraret:* Quid enim per Hordem facere non tentavit, ut vix naturæ enecaret? Sed cum puero nocere non po-

potuerit, virum aggressus est in deserto, & cum eo conflixit: toto vitæ tempore infecutus est: immisit in cor Iudæ ut eum traderet: in eum Iudæos concitavit: *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum*: nec persequi desit, donec interimeret. Eius autem semen, hoc est Apostolos, discipulos & Christianos modis omnibus persecutus est: Hæresibus totam eius doctrinam commaculavit: novos semper errores excitans, sed præcipuè contra Christi Divinitatem; aut veritatem, aut humanitatem: omnia ab eo instituta Sacramenta infandis ceremoniis infecit, sed præcipuè Baptismum, & Eucharistiam.

Sed *contra malum, bonum est, & contra mortem vitæ*: Nam si Dæmon peculiari quodam odio contrarius fuit divinæ Sapientiæ, sanè etiam Christus hoc peculiari fine venit in mundum ut Diaboli regnum aboleret. Id disertè significavit Ioannes i. sua Epistola cap. 3. *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera Diaboli*: in hoc, eis tæro, in hunc finem. Quare ubi primùm natus est, continuò obmutescere ubique cœperunt oracula, stupentibus Gentilibus, cuius rei causam alibi inutiliter quærit Plutarchus in libro eâ de re scripto: sed fateri cogitur Christianorum hostis infensissimus Porphyrius in lib. quem contra religionem Christianam scripsit: Et docet Euseb. l. 4. de præp. Evang. c. 1. Hoc longè antè prædixerat Iſaias c. 8. *Accessi ad prophetissam, & concepit, & peperit Filium, & dixit Dominus ad me, voca nomen ejus, accelera spolia detrahete, festina pradari, quia antequam sciat puer vocare patrem suum & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samaria, coram Rege Assyriorum*. Grandior factus certavit cum Dæmone in deserto, quem in omni certamine devicit: Quid dicam quomodo idololatriam & omnem Dæmonis cultum destruxerit, eius fœditatem in nefandis mysteriis, & sacrificiis revelavit, eius sacrorum turpitudinem, & le-

gum iniustitiam ostenderit: iuxta Prophetiam Iſaiæ 2. *Et elevabitur Dominus solus in die illâ, & idola penitus conterentur*. Immo, & quomodo eum omnibus execrabilem fecerit: *Vade retro Satana*: omnibus conculcandum, & proterendum dederit: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones, & super omnem potestatem inimici*: Mundum vindicavit ab eius tyrannide: *Nunc iudicium est mundi, nunc Princeps huius mundi eijcietur foras*: Eiecerit eum ab animis & corporibus: Item à templis, altaribus omnibus locis sacris inducto vero cultu: quin & ab Urbibus, & domibus, accolarum sanctitate: à viis publicis & compitis, signo elato Crucis: à sepulchris mortuorum corporibus, benedictione: à solitudinibus, tyllis & antris, per Monachos, & Christi nomen, omnibus auditum in locis, uti refert S. Hieronymus in vitâ Sancti Pauli Eremitæ. Sanè ab aëre miserum fugavit elatus in crucem: ibi enim pugnavit cum potestatibus aëris: Ab aquis fugavit, eas sanctificando in Jordane: Ab inferioribus partibus terræ, eas penetrando, ac malignos spiritus magnâ ex parte ad inferos abigendo, unde apud Matth. c. 8. clamant. *Quid nobis, & Tibi Iesu Fili Dei? venisti huc ante tempus torquere nos, &c. Si eijcis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum*. Et cum Dæmon exaltaverit filium perditionis, qui uti dicitur 2. ad Theſſalon. cap. 2. *adversatur, & extollitur super omne quod dicitur DEVS: aut quod colitur: ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit DEVS*: Tunc Dominus Iesus interficiet eum spiritu oris sui, & destruet illustratione adventus sui eum: ubique Dæmonem, ejusque opera infectando. Hoc egit doctrinâ suâ, hoc miraculis suis, hoc Sacramentis; Hoc quotidie peragit in animis & corporibus hominum: sui nominis invocatione, usu sacramentalium, & Sacramentorum: aded illud verum est quod ex Joanne supra dictum est, *In hoc apparuit Filius Dei*.

*Dei, ut dissolvat opera Diaboli, nam omnia quæ fecit, eò contulit ut Diaboli regnum aboleret: Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime: Specie tuâ, & pulchritudine tuâ, intende, prospere procede, & regna.* Hoc etiam est opus tuum ô Christiane. Hæc est summa vita tuæ ut in te, & in aliis dissolvas opera Diaboli, ut ejusdem tyrannidem excutias, regnum destruas, & te illi perfectè subicias qui ut ait Apostolus c. 1. ad Coloss. *Eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filij dilectionis suæ.*

Jam illud relinquitur ut videamus qua tandem ratione Christus illud Diaboli regnum abolevit: Ego quidem tres potissimas rationes invenio in hoc nostro Evangelio, ad quas omnes reliquæ referri possunt quæcunque illæ sint.

Prima est, per institutionem unius veræ Religionis. Sicut enim Diabolus induxit tyrannidem suam, seque Dominum constituit totius universi, impietate & cultu falsorum numinum, occupans terram, elementa, cælos, Solem & Altra omnemque naturam visibilem, idololatriæ opera se adorari curans sub eorum omnium imagine, atque adducens homines ad observantiam infamem ejusmodi ceremoniarum, alios consecrans ut Sacerdotes; exigens ab aliis cultum arrogatæ sibi divinitatis: Ita Filius Dei illum ejecit cum probro & dedecore per institutionem veræ religionis, quæ tota refertur ad veram de divinitate opinionem, reducta ad unitatem, & ad cultum tali tamq; sublimi natura dignum: quam religionem notavit illustravitque peculiari potestate expellendi Dæmones è corporibus, per exorcismos, perque ceremoniam quæ nunquam defecit in vera religione. Nam quemadmodum possessio corporum à Dæmone sumpta, est imago possessionis quam capit in animab⁹ quas sibi subjicit, cum prior illa coacta sit & violenta, altera hæc volunta-

ria; possessioque animæ inferat crimen; corporum verò solam pœnam adimat; Sic potestas illius expellendi è corporibus non reperitur nisi in ea religione, ubi inest potestas, ejusdem expellendi ex animabus, quod quidem in vera tantum religione est, in qua sola Sanctus Spiritus invenitur. Ejusmodi fuit religio Judæorum, in qua fuit hæc potestas, secundum testimonium Filii Dei, nostro in Evangelio. *Si autem ego in Beelzebub ejicio Dæmonia, filij vestri in quo ejiciunt? id eò ipsi judices vestri erunt;* in quibus verbis satis indicatur fuisse inter Judæos quosdam Exorcistas, quorum erat officium expellere Dæmones à corporibus invocatione nominis Dei: Tales erant septem Filii ejusdam Sacerdotis de quibus agit Act. 19. Et docet Iosephus lib. 8. antiquit. cap. 12. quandam formulam concriptam fuisse à Salomone, qua Dei nomine invocato, ejicerentur Dæmones ab hominum corporibus. Talis fortasse ille fuit, quem Apostoli prohibere voluerunt, cum eum vidissent ejicere Dæmonia in Christi nomine, etiamsi Christum non sequeretur, qui Apostolorum zelus Christo non placuit. Porro hanc potestatem, & ceremoniam veram indicare religionem probatur ex verbis Christi sequentibus: *Porro si in digito Dei, hoc est Dei virtute, ejicio dæmonia profecto pervenit in vos regnum Dei;* quo nomine intelligitur vera fides, veraque religio. Fuit autem hæc potestas, & communior, & maior in lege Christiana: quæ sola, esse vera incepit, secundum illud *gratia & veritas per Iesum Christum;* Lex enim Iudaica postquam Christus venit, & implevit omnia, cepit esse inutilis, & falsa, quoniam venturum eum pollicetur qui iam venit; unde etiam in Actis c. 19. dum filii Scevæ, vellent ut exorcistæ, Dæmonem in nomine Iesu prædicato à Paulo, eiicere à corpore cuiusdam Dæmoniaci, respondit Dæmon: *Iesum novi, & Paulum scio, vos autem qui estis? Et insiliens in eos homo, in quo erat dæ-*

monium pessimum, & dominatus amborum, in-  
 valuit contra eos, ita ut nudī, & vulnerati effu-  
 gerent de domo illa. Simile quiddā accidit Lu-  
 thero, idem ferme aggressō, ut scribit Disci-  
 pulus ejus Staphila. Vt intelligamus fide verā  
 Dæmonē subigi: unde hæc probatio fieri po-  
 test falsitatis religionis Calvinistarum, & veri-  
 tatis Catholicæ. Illa Religio vera est in qua re-  
 peritur potestas eiiciendi Dæmones: Sed in  
 Novatorū Religione, nulla est eiusmodi po-  
 testas, & ea reperitur in Catholica: Igitur No-  
 vatorum Religio falsa est; Catholicorum au-  
 tem vera. Et quidem aiebat Antonius, Dæ-  
 monem nihil magis exhorrescere quā verā  
 fidem, & sincerum in Christum amorem: Ita  
 hinc Dæmon abigitur, ubi seritur vera fides, &  
 religio; & contra. Sicut enim relicturi Ange-  
 litemplum Jerosolymitanū auditi sunt mag-  
 nā voce dicere, recedamus hinc, secūdum il-  
 lud Isaia 52. *Recedite, recedite, exite inde: pol-  
 lutum nolite tangere: exite de medio ejus; ut scili-  
 cet in domum vacuum spiritus in mundus i-  
 ret: Ita in animas, & corpora, & domos hæ-  
 reticorum, magno numero Dæmones irru-  
 unt: expulsus enim Dæmon ambulat per loca  
 arida, id est, per loca inhabitata ab homini-  
 bus: quia per exorcismos & Sacramenta Ec-  
 clesiæ in ea loca abigitur ubi hominibus no-  
 cere non potest, qualia sunt ea, quæ cum aquis  
 careant, non sunt apta habitationi hominum;  
 sed postea redit, atque invadit, hominum pec-  
 catorum nimis incuriorum, sed præcipuè hæ-  
 reticorum animas omninō vacuas, hoc est in-  
 anes omni virtute supernaturali, quia fides  
 quæ ultima perditur in illis abolita est.*

Hinc factum ut disseminatā verā religione  
 passim undique expulsi sint Dæmones à locis  
 plurimis, à statuis, fontibus, arboribus, à va-  
 tibus & idolorum ministris à cunctis oraculis,  
 & ab innumerorū corporibus: quod ostendi  
 facile potest inductione. Sed de hoc satis.

Secunda ratio quā usus est Filius Dei ad de-

Tom. II,

struendum Diaboli regnum, fuit per contra-  
 rietatem morum, doctrinæ institutorū prin-  
 cipiorūque, convenienter hisce verbis; *Quæ  
 non est mecum contra me est, & qui non colligit  
 mecum, dispergit:* Quia enim Satanas acqui-  
 vit regnum suum inter homines, falsis persua-  
 sionibus, docens, incitans, movens, persua-  
 densque, pravum suum exemplum adhibens,  
 aliosque ad rebellionē adducens; [quod qui-  
 dem efficit primò erga socios suos: minores  
 enim Angeli peccarunt imitatione majorū;]  
 deinde præstitit erga homines, quos decepit  
 artificijs suis: Ita plane Filius Dei, qui venit ut  
 dissolveret opera Diaboli, se pro Domino in-  
 ter homines gessit, atque sicut hoc nomen,  
 ita & munus usurpare voluit, seque præbuit in  
 exemplum omnium virtutum.

Sancta quædam anima divinitus illumi-  
 nata in sua conversione, luculenrer admodū  
 scripto mandavit admirabilē hanc agendi ra-  
 tionem, hoc ferè modo: Sibi animo finxit  
 non longè à magna urbe Babylone, ingentem  
 campum in telluris aggere sublimem, supra  
 quem stabat thronus celsè erectus, è materia  
 ignota, minusque usitata inter mortales, sta-  
 timque ipsi apparuit formidolosa Dæmonum  
 acies tanto numero, ut vastus ille campus eā  
 contegeretur. Illorum in medio unum vidit  
 prodigiosā proceritate, horribili vultu, ple-  
 noque terroris, arroganti & ad fastum elato  
 incessu, qui cætero qui præferebat in oculis &  
 fronte notas omnes ardentissimæ iracundiæ,  
 ac furoris quā in fingi potest maximi. Conse-  
 dit in throno sibi præparato, opletto flammis  
 fumoque, ac silentium cœci universo indi-  
 cens, sermonem orsus est cum tumore, ipsius  
 personā, arrogantiæque digno. Mortiferum  
 odium, & rabiosum, quo flagro in eum qui  
 nos cruciat, ac propter ipsum in homines,  
 quos nobis anteposuit, destinavitque bonis  
 quæ ad nos attinent, nos hinc unā colligit. Mi-  
 hi est in animo quanto vis pretio id constet,  
 perdere

K k

perdere funditus naturam humanam, eamque si fieri potest nostrâ communi ruinâ involvere. Satis fuerit nobis eo modo ultos fuisse, quandoquidem nihil pejus permittitur. Longè aptissima ratio hæc erit, conijcere homines in ignorationem Dei, ejusque legum ac mandatorum; erroribus scilicet, & absurdis opinionibus: efficere in primis ut ament bona vitæ præsentis, seductis ab ipsorum aspectu omnibus quæ ad vitæ futuræ cogitationem inducere possit: Siquidem prima versatur ob oculos, altera longè abest. Deinde proponere illis voluptates, & potissimum carnis, utpotè magis sensiles, facilioresque, ac tenaciores: impellere ad ambitionem, ad consecrationem bonorum, laudis desiderium, studium gloriæ, sitim dignitatum, sensum injuriarum, appetitionem vindictæ, neglectationem rerum sanctarum & religionis, ac inde præcipites illos ferre in omnia vitiorum genera; minimè parvo contentos: In ijs inflammare cupiditatem, ex eo inducere animos ad furtum, post ad rapinas, inde ad injustam exactionem pecuniarum, ad violentiam, ad apertam injustitiam, ad cædes, & sacrilegia: Conciliare initio oblectationem, tum amorem, dein ardorem in animo, caloremque in corpore: Interficere per oculos, dare studium placendi; inquinare corpora, implicare illa in cænum carnis, omnesque spurcicias libidinis; efficere ut ad experientiam attentent omnia, & plura quàm possint expetant: Immiscere illos in omne solutioris vitæ genus, spectare semper ad maximas quasque strages, ad molestiores turbas, ad scandala quæque turpiora. Hæc est via, Socij, perdendi istud hominum genus, & quidem compendiarium & optima.

Agite ergo, omnes vires impendite; nulli parcite loco, nec regioni, nec populo, neque conditioni aut dignitati. Quibus res melius, successerit, ij ad opportunissimas occasiones

maximaque facinora adhibebuntur. Vidimus experientiâ, plures ambitione desiderioque aliis antecellendi, quàm alio quovis modo nobis acquisitos fuisse: divitiæ necessaria sunt ad id assequendum. Eos istiusmodi cupiditate inflammatos reddite; instrumentum est omni aptissimum vitio, radixque ad universa malorum genera provocanda: Caro vobis magna subsidia suppeditabat ad conciliandum ipsis amorem deliciarum; usque omnibus peccatis facilè perducetis eorum animos aut ad hæresim, aut ad impietatem: Prætermittere vobis silentio non possum, dissensionem voluntatum valde idoneam esse consilio nostro; Ingenerate suspiciones, pravasque opiniones aliorum de alijs, injicite: Animos ad rebellionem & inobedientiam commovete: Subditus rebellet in Regem suum, & Dominatorem: populus in Magistratum, filius in patrem, famuli adversus heros; inferiores: contra superiores: Exulcerate voluntates, accendite discordias, corroborate animos, lites ac dissensiones serite, inflammate iracundiam, odia imprimite, obices paci & reconciliationi infigite, accendite prælia, rixas adauge. Quælibet cupiditas, vobis alimentum subijcere potest ad ignem iracundiæ nutriendum, & ad dissolvendas maximas quasque consensiones, amicitiasque vel sanctissimas: Objicite semper hominibus commodi proprij rationes; eas exaggerate ipsis ob oculos, aliosque respectus imminuite; mementote consensionem inter nos arctissimam sustentasse hactenus regnum nostrum; ideòque contra non posse à nobis faciliùs rempublicam hominem everti quàm discordiâ & dissensione. In primis autem hæc cogitatione animamini, nequire nos magis ei displicere cui non possumus placere nec volumus, quam immani mortaliù excidio. Finito ejusmodi sermone, Sanctus lacrymarum copiam erupit.



erupit, videns quanto successu, Dæmones funestum hoc consilium persecuti fuerant. Videbatur sibi intueri maximam mortalium partem crudeliter immisericorditerque illigatam à Dæmonibus, nonnullis ejusmodi cætenis; alios honoris & gloriæ desiderio, alios ambitione studioque munerum illustriorum, alios avaritia, & insaturabili appetitione habendi, conviviorum delectatione alios, ludis temporisque abusu alios, alios vita in omnem carnis voluptatem projecta; usque ad eò ut visa illi sit maxima hominum pars concurrere ultrò & cum oblectatione ad sectanda vexilla Diaboli, delinita captaque sola pulchritudine colorum.

Cùm meditaretur clamitare ad homines; *Filij hominum usquequo gravi corde? Ut quid diligitis vanitatem, & queritis mendacium?* Vidit animo se usque Hierusalem deferri, ubi visus est sibi alpicere oculis Venerabilem Virum, lenitate simul & majestate insignem, circumdatum exigua hominum turba, qui magna ipsi observantia colerent, præstolarenturque singulari reverentia, quid eloquendum iis haberet. Incomparabilis mansuetudo & benignitas quæ elucebat in illius oculis & corporis habitu, ipsi persuasere eum esse amabilem nostrum Redemptorem: Sed id opinionis sermo illius magis etiam firmavit, qui quidem is extitit. Dilectissimi Discipuli & Apostoli, desiderium quo teneor gloriæ Patris mei, amor quo afficior erga homines, & commiseratio quam habeo eorum causa, & quam ipsorum infelicitas mihi affert, adduxerunt me ut homo fierem, aptaremque hoc genus vitæ quam duco. Diabolus tyrannicè sibi usurpavit regnum hujusce mundi, quod omni jure ad Patrem meum pertinet. Illius arma fuere peccata hominum, artificiosæque ipsius propositiones, honoris, cupiditatis, & voluptatis, Mihi est in animo recuperare Patri meo regnū, liberare homines cap-

tivitate sua, Diaboli regnum delere, ac meum stabilire, ad subditorum meorum utilitatem gloriamque Patris, atque id universum efficere institutis planè adversis hosti meo. Quare volo ut labore vestro & industria, volo ut doceatis homines viam quam vobis ostendi, prævique exemplo.

Primum hoc principium vobis esto. Evellere radicibus ex hominum corde ambitionem, desideriumque honoris, cum superbia germen sit principium omnis peccatorum generis. Invadite acriter adversus cupiditatem, studiumque divitiarum, siquidem radix malorum omnium est cupiditas habendi. Persuadete hominibus voluptatem esse venenum; animam enim funditus interficit. Aspici- cite institutionem vitæ meæ, meæque actiones pro exemplari accipite. Imitamini me minimum hominum, qui ad eò pauper sum, ut non habeam penes me & in manu mea ubi caput reclinem, ponamque in operto. Oblectationes meæ, sunt lachrymæ, deliciae, dolores, & cruciatus; balneæ meæ fiunt in meo sanguine; crux mea vexillum mihi est. Nihil minùs polliceor vobis quàm mihi: At etiam volo vos eo contentos esse quod sat mihi fuit: Suadere cæteris quod vobis ego persuasi, idque illi præstent Discipulis suis usque ad finem mundi. Inducite homines ad universas virtutes, ad humilitatem, ad patientiam, ad charitatem, ad misericordiam, ad pacem, ad concordiam & unionem; Invitate illos ad mortificationem, ad pœnitentiam, ad crucem & martyrium; maximèque ad fidem ac religionem: Mundum abducite ab erroribus suis, eumque hæc pronunciata edocete. Beati sunt pauperes affectu, corde ac voluntate. Beati sunt humiles & mites: Beati sunt qui lugent, & qui affliguntur, nominatim propter justitiam, Quoad fructum & remunerationem laborum vestrorum, promitto vobis in hac

vitâ multâs persecutiones & contradictiones: hæcæ duas simul conciliare: *Qua enim participatio iustitiæ cum iniquitate? Aut qua societas luci ad tenebras? qua autem conventio Christi ad Belial?* 2. Cor. 6. Nullum est intermedium; oportet aut Iesu Christi, aut diaboli partes tenere: uterque suum erexit vexillum: *Qui non est mecum, contra me est, & qui non colligit mecum, dispergit.* Sequimini vexillum superbiæ; vultis elucere in mundo; & tamen vultis credi vos humilitatis Iesu vexilla sectari. Vester divitiarum amor, commodorum vestrorum cura, deliciæ vestræ, oblectationes, ludi, convivia, voluptates, spurcitiæ ac sordes, lulentum satis præferunt testimonium, cuiusnam causâ militetis: Tenetis partes mundi, ejus institura tuemini, eximitis eum à criminatione, patrociniamini carni, ejus culpas extenuatis, ejus inminuitis vitia & dedecora: An nescitis mundum & carnem fœderata esse cum diabolo, ac sub ejus signis pugnare? Bellum geritis adversus probos, infesto eos animo persequimini, oblectamini maledictiâ in Religiosos; & vos profiteri esse de regno Iesu Christi. Impossibile istud est: *Omne regnum in se divisum desolabitur, & domus supra domum cadet.* Nihil amatis nisi dissensionem & discordias; obrectatores, invidi, virtutis hostes; maledictis contumeliisque: Ad amplificandum Regnum Dæmonis, politica ubique seritis pronunciata, Christi Religioni contraria; immò & mali politici, & rebelles contra Regni statum declamatis: Nam, ut vobis videtur, multiplicitas Religionum salubris est in Regno, & in Republicâ: rebellio subditorum est sanitas Regni, utilitasque multorum: & alia id genus; Eheu, feditis ne diabolo? ejus ruinaque propositum est exitium vestrum integra: Offert vobis ambitionem, quia vos videt ad eam perniciem propensos: Ipse est qui

vos

Divinum illud os vix clausum erat, cum Sanctus contemplator qui hæc animo videbat, cepit intelligentiâ comprehendere quâ institutione ac methodo Salvator animarum confregerat jugum diabolicæ tyrannidis, mortalesque ab durâ illa servitute vindicaverat. Eius animus lætitiâ colliquefactus est, videndo innumerabiles hominum cœtus recipere se sub humilia humilitatis Christi vexilla eosque errore absterfo, non amplius tanti facere quod olim ad eodæ æstimabatur inter mortales, immò agnoscere vanitatem divitiarum, nihilum bonorum, vilitatem mundanæ magnitudinis, brevitatem deliciarum, voluptatumque spurcitiâ, & demùm opulentas deferere fortunas ad paupertatem amplexandam; Magistratus abjicere munera sua, ad dedendum se obedientiæ aliis navandæ; Magnates mundi abdere se in solitudinem, in Religiosorum cellas, & in pulverem, præferendo contemptum & dedecus crucis, omnibus pompis fastidii, delicatulos mutare mollitiem cum victus acerbitate, convivia cum jejunijs, pretiosos vestitus cum cilicio, colloquutiones cum solitudine ac precibus, oblectationes pœnitentiâ, delicias cum afflictationibus, Christus cum lacrymis, flores cum spinis, sibi que cruces usquequaque conferere. Inde intellexit hæc verba. *Qui non est mecum, contra me est, & qui non colligit mecum, dispergit:* atque uti Filius Dei destruxerat diaboli regnum, viis plane contrariis modo quò illud ipse Dæmon stabilierat; eum exui possessione suâ, dum abrogantur evertunturque ipsius documenta. Postremò illum hæc visio perspicuè docuit, laborem esse inutilem, rei que prorsus impossibilis periclitationem, velle partes

vos ad avaritiam inflectit, ab eaque ad omne criminum genus: Ignis quos sentitis in corporibus, eos ille accendit: Vult perdere vos & bonis omnibus evertere: Vult suam in miseriam vos pertrahere, ac reddere socios cruciatus sui: Quin sequimini potius benevolentissima Regis omnium Regum maximè amabilis invitamenta, Iesu, vos ad crucis vexillum, vitæque suæ exemplum incitantis? Fugite, vobis inclamat, superbiam, & humilitatem amate; contemnite divitias; declinate voluptatem; totum illud, nihil est nisi vanitas, nisi fallacia, nisi deceptio: artificia sunt hostis vestri, qui nihil nisi perniciem vestram exquirat. Heus, Christiani, quid statuimus, ac propositum habemus? Cujusnam partes sequi volumus? Sub cuius vexillis certare? cuius regis profiteamur nos esse subditos? Fallor, Auditores, qui sic loquar: Mundus partes jam suas elegit, seque adjunxit dæmonibus. Ecce Princeps tuus, tuus ecce Rex ò Munde! *Venit Princeps huius mundi, & in me non habet quidquam. Princeps huius mundi jam iudicatus est.* Dæmones *Mundi rectores, tenebrarum harum,* Eorum Princeps ipse est cui serviunt sæculi Principes, divitiæ ac delicia; ipse est qui leges præscripsit injustas atque iniquas quæ mundum regunt; qui pronunciat promulgatque detestabiles illos ritus qui celebrantur, & vigent in mundo, Ipse est pro quo loquimini, quum dicitis eos qui versantur in mundo debere vitam degere ex usu & legibus mundi: ipse est cuius rationem habetis, quum habetis mundi, cui studetis placere, ac displicere meritis: Illius leges vos defendunt, quando suscipitis arma viresque contenditis ad leges mundi tuendas; pro illius gratiâ & autoritate, contemnitis Deum ac religionem, probosque homines deridetis. At quid ajo, illum esse Principem Regemque mundi, cui omnia obediunt; cum ejus sit Deus. Ita loquitur Apostolus 2. Cor. cap. 3. *Deus huius sæculi excœ-*

*cavit mentes Infidelium.* Nam, ut verè dicamus, agit Deum in mundo, statuit de omnibus, omnia gubernat, attrahit omnia, omnia superat, & subjicit sibi. Mundus quoque pro Deo illum habet; ei reipsâ sacrificatur, statuuntur templa, & aræ inter Infideles, nihilominus inter cæteros tractatur ut Deus, ab eo sperantur omnia, sanitas, recuperatio rerum amissarum, abditarum, incognitarum hominibus, scientia, fortunarum amplificatio, mortis amotio. Sanè maxima operum quæ fiunt in mundo pars exercetur aut vanitatis causâ aut voluptatis, hoc est, ad amplificandum vel saltem ad firmandum regnum diaboli: maximæ occupationes sæculi nonne ad hunc scopum tendunt? frequentissimi sermones nonne hoc consilium spectant? quidnam enim aliud maledicentia de rebus sanctis & sacris? quare contemptus Religiosorum, nisi ad infirmandum Filii Dei Regnum, corroborandum regnum diaboli? Si concionatores loquuntur cum libertate ac zelo, arguuntur imprudentiæ, & majoris quàm par est audaciæ; at si comœdia exhibet res obscenas & impudicas, si puellarum pudicitiam, castitatem mulierum, conjugiorum fidelitatem impugnat nemo queritur, idque fit non solum impune ac tuto, sed etiam cum approbatione, immò cum laude: quicquid intemperans dissolutumque admittatur in sumptu mensarum & conviviorum, vestium, suppellectilium, comitatus, apparatus, oblectamentorum; offenditur nemo, neque improbat: totum illic est ad satisfaciendum diabolo, Principi unico, Regique absoluto mundi. Judicare jam ex conditione capitis, quale possit esse corpus, atque ex naturâ Principis quæ status ipsius conditio existat, præsertim cum hunc ille secundum leges suas gubernet cum magna submissione à subditis, & cum absoluto imperio ab dominante. Hoc est enim quod vulgò iactatur in communi sermone, quisquis est in mundo, esse-

cundum mundi leges vivendum esse. Quod si verum istud est, quin illinc exitis animæ sanctæ ac prædestinatæ? quin repletis claustra? quin in Monasteria concurritis? quin Conventus Religiosos augetis? Angeli instigarunt olim justum Loth ut discederet Sodomâ, quò vitam in tuto poneret; illa enim erat ad interitum mergenda; Et Angeli vos urgent ut abeat is è mundo, vel reipsâ & facto, si quidem satis animi habetis, atque ad id vocamini, vel saltem affectu ac voluntate, contrarietate morum, & dissimilitudine vivendi, sensa nimirum opposita habendo, instituta contraria, discrepantem mentis intentionem, fines alios, dissimilemq; agendi viam. Vt enim jam dixi Deus & Dæmon consentire unâ non possunt: Dagon nequit suprâ idem altare cum Arcâ Testamenti consistere; Jesus Christus non potest manere cum Belial: nequeunt dies & nox, lumen & tenebræ simul consociari. Aliunde porrò status inter utrumq; medius nobis non licet: neutrâ in partem addicti esse non possumus; ad alterutrum pertinere nos oportet, aut ad Jesum

Christum, aut ad Diabolum: cives esse aut Ierusalem; civitatis pacis, aut Babylonis; urbis confusionis; aut destinatos esse Cælo, aut obstrictos Inferis: æternum aut fœlices aut miseros; aut prædestinatorum, aut reproborum è numero; aut amicos, aut hostes Dei: fœderatos aut cum Dæmone aut cū ejus adversario; sub uno Rege, aut Tyranno. Ierem. 1. *Obstupescite cali super hoc & porta ejus desolamini vehementer, dicit Dominus: duo enim mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aqua viva, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas que continere non valent aquas?* Vide enim quid referas ex Dæmonum gubernatione & dominio, quid ex Dei regimine: quid tibi uterque proponit; quas leges, quæ jura: Vide discrimen gubernationis: vide quid uterq; spondeat, vide quid præstet uterque, & quo tandem fine, & exitu utriusque gubernatio concludatur: Dæmonis æternâ damnatione: Dei & Christi æternâ fœlicitate, ad quam nos perducatur

IESVS CHRISTVS.

Amen.



DOMINICA TERTIA  
IN QUADRAGESIMA.  
CONCIO QUARTA.

Regnum Dæmonis à Christo destructum autoritate summâ  
& supremâ potestate.

*Erat Jesus ejiciens Dæmonium. Lucæ II.*

**I**N superiori Concione dictum à nobis est suâ 1. cap. 3. *In hoc apparuit Filius DEI, ut CHRISTVM eo fine in hunc mundum venisse ut regnum Diaboli everteret, secundum illud Ioannis in Epistolâ dissolvat opera Diaboli: Quia verò id multis modis fecit, 1. verâ religionis institutionem in quâ solâ reperitur virtus ordinaria, & potestas*